

Q. K.  
405,  
17.

N. 19 (X1903999)  
Q. D. B. V.

Πm  
6959

DE  
VVILHELMIS  
FELICIBUS,

PRÆSIDE  
M. JOHANNNE BALTASARE  
BEYSCHLAGIO,

Ord. Phil. Adjuncto,  
*Cive suo honorando,*  
differet  
A.R.

JOHAN. DAVID HASPEL  
Hallis-Svevus.

Wittebergæ

*In Auditorio Majori,*

Ad d. XI. April. M DC XCIV.



XXIX p. 2.



WITTENB. Prelo GODERITSCHIANO.



VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis atq̄  
Prudentissimis,*

Reip. Imp. Lib. Suevo Hallensis  
inclutæ, Senatoribus Gravissimis,

DN. JO. GODOFR. HOERNERO,  
DN. JO. WILH. ENGELHARDO,  
DN. JO. DAVIDI FIRNHABERO,

Præfectis, Quæstori, atque Ædili  
Spectatissimis, longeq̄ue Meritissimis,

*Dominis Patronis atq̄ Promoto-  
ribus æternùm colendis,*

Primitias h. Acad. micas, Pietatis  
& Obseq̄. ii test. ras,

*offe Cultor perpetuus*  
JOH. DAV. HASPEL. A. Stor



J. N. J.

**H**abet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex secundis adversa cognoscantur. Occultat utrorumque semina DEUS, & plerumque bonorum malorumque cause sub diversa specie latent. Gravissimè his Plinius divinum in rebus humanis regendi & moderandi ordinem exposuit. Quò de dubitare velle quenquam, nefas esse judicamus; DEUS enim sæpius tristioribus auspiciis inchoata feliciori & successu latiori ornat. Jacobi, Josephi, Davidis, exempla in S. Codice contenta, versantur singulis ob oculos. Trajani haud disparem fortunam Plinius Panegyrista recensuit. Nec in singulis tantummodò aut uno alterove cernimus hos, & admiramur divinæ providentiæ lusûs, sed integra quandoque Imperia, Regna atque Republicæ difficillimo stetere initio, magnæque molis fuit condere non tantùm, sed & conservare gentem, & ab hostium insultibus si non, rapinis tamen & cædibus immunem præstare. Eam vero maximè ob causam bella vicinis inferuntur regionibus, dissidia & seditiones moventur, quò illorum virtus emineat, qui ad servandam Patriam, tuenda Regna & Imperia, nati, dati, educati atque excitati sunt. Opus haud esse existimamus inquirere in antiquissimorum temporum res gestas; *Assyriorum* aut *Persarum* evolve re *Annales*, *Græcorum* atque *Romanorum* investigare celebriora facta, aut *Conditores* illarum rerum consulere. Nostrorum nobis temporum conditio & facies hodierna *Europa* luculentum offert, probandæ sententiæ exemplum. Nolim equidem asserere momentum hoc unicum esse, propter quod integra fere *Europa* hoc in primis seculo gravissimis implicata bellis fuit, & hac ætate potiora illius Regna inter se dissident, de libertate dimicant aut amplitudine: cum & Vindex Numinis ira, Germaniæ maximam partem scelera nefanda, luxum nempe & superbiam, securitatem, impietatem atque libidinem vocare in memoriam,

moriam, pœnas de iisdem sumere, & ad sanctiorem mentem ut redirent homines omnis generis, hac voluerit ratione. Præcipuam tamen causam esse reor, quòd Gideones atque Samsones excitaret Deus inter Germanos, Batavos, Anglosque, atque magna per eosdem geri, superbos debellari, parci subjectis, libertatem conscientiae non tantum sed & tranquillitatis publicae instaurari vellet, atque firmiter pace constitutâ tandem stabiliri. Per ambages non tenebimus suspensos animos, sed, quid modò dictis velimus, paucis explicabimus. Orientis æquè ac Occidentis Monarchæ, præter omne fas æquumque Germaniæ & confœderatis Regnis, Rebusque publicis exitium minati fraudibus, consiliis ad fallendum compositis, vi quoque maximâ & hostili impetu hæctenus laceffere non dubitarunt. Hungariâ devictâ maximam partem, Vienneam adoriundam destinavit Dux exercitus Turcarum, Magnus Vezierius, hac, vi aut deditioe captâ, aditum sibi in Bohemiam, Silesiam, Misniam, Saxoniam, ceterasque Germanorum regiones nobilissimas patere, non ex vano credidit, quòd omnes jugo Turcarum intolerabili subjiceret. Communicatis verò consiliis Ludovicus XIV. Gallorum Rex, Jacobo, Anglorum Rege adjuvante, Regnis Britannicis, potentiae Hispanorum, divitiis Batavorum, libertati Germanorum inhiabat, & ruptis, quas inibat sancteque servaturum se confirmabat, induciis Germaniæ superioris Urbes, & Tractus vastabat, Belgarum regiones infestabat, Jacobum, ut leges fundamenti instar totius Reipublicæ positas evertat, & religioni Romanæ ampliora spatia concedat, callidè non minus, quàm potenter instigabat pariter & adjuvabat: Verùm Numinis auxilio & moderamine factum, ut felicibus auspiciis *WVilhelmus* in primis, Princeps Auriacus, Rex jam Magnæ Britanniæ Potentissimus, & *Ludovicus WVilhelmus*, Marchio Badensis Illustrissimus, utrumque hostem fastu impotentem, copiis validiorem aggressi, victoriæ non unius & rerum gestarum magnitudine, admirandi occasionem suppeditârint. Absit quidem, ceteris Fœderatorum Serenissimorum consiliis & virtuti detrahere quidpiam, siquidem eorum quoque merita his bellis maxima suat. Consilium tamen, res in primis *WVilbelmi* Utriusque feliciter gestas hac dissertatione recensere, & de *felicibus WVilhelmis* brevibus, annuat divinum Numen! differere.

I. Multa

**M**ulta inter antiquos pariter & recentiores Philosopho-  
 fuit, quæ componi facile potest: An nomina vim quan-  
 dam à naturâ sibi insitam possideant? & utrum occultâ  
 quadam ratione, felicitatis aut malorum futurorum vocanda si-  
 gna non tantum sint, sed certa omina præfagiaque? Qui ad  
 impositionem omnium primam deveniunt, facile experiuntur,  
 Deum Conditorem rerum omnium, creaturæ nobilissimæ, à ma-  
 teriali causâ & substantia, terra nempe rubicundâ imposuisse  
*Adamo* nomen; quò post lapsum admoneret fragilitatis suæ, & su-  
 perbam Numinis assimilationem exprobraret. Gen. 2. 8. *Evam* qua-  
 re *Adamus* appellaverit uxorem suam, ipse docet, à dignitatē  
 enim & causâ principali sociâ viventium in genere humano o-  
 mnium, desumptum dedit *Chavvæ*, sive *Evæ* nomen, quòd fuit  
 mater omnium viventium. Gen. III, 10. Animalia, in creatione pri-  
 ma, ab *Adamo* jussu Dei accepisse nomina, nullus equidem dubitat.  
 Gen. 2. 15. Nec fortè erit, qui inficias eat, convenientem impositio-  
 nem nominum sive *ὀνομαθεσίαν*, sapientiæ hominis primæ vi perfe-  
 ctæ, argumentum fuisse insigne, juxta *Aben Efram* atq; alios, cum  
 non *Grammatica* tantum, sed in primis *Logica* fuerit, veram definitio-  
 nem & cognitionē ex concreata imaginis divinæ excellentia hau-  
 stam animalium involvens, qua de re Theologi consulantur. De-  
 voluta procul dubio hæc actio miranda ad Gentiles, Sapientiæ  
 Doctores, per traditionem quandam, atque sic *Pythagoras*, *Pla-*  
*to*, & *Cicero* sapientissimum dixere virum *ὀνοματεργόν*. *Germani*,  
 teste *Aventino* in *Chronici sui initio pag. 4.* nomina plurimi fece-  
 runt, illaque vitæ, morum, mortis, fortunæ, infortunii homi-  
 num, imò ut breviter dicam, quamcunque quis victurus sit,  
 vitam, divinum certè indicium esse crediderunt. Ideò non in-  
 consideratè, sed octavo demum die nomina & quidem ipsis be-  
 ne cognita, singulare quidpiam significantia, ad virtutem egre-  
 giaque facta incitantia liberis indiderunt, significationem vero  
 ingratham denotantia, nimia superstitione ducti ceu rem infor-  
 tunatam horruerunt: *Socrates* quoque solus sapiens ab *Apolline*  
 judicatus, in *Cratylô* *Platonis*, *Agamemnoni* fato impositum nomen su-  
 spicari non erubuit, *ὄλι ἀγαθὸς καὶ τὴν ἐπιμνην ἔτος ὁ ἀνὴρ*. Perduravit  
 enim

enim, decem ipsos annos ad Trojam confidendo, donec expugnaret. Idem & Orestis, & Atreo, & Pelopi, & Tantalo non sine omine nomina imposita docere connititur. *vid. lib. 10. Pol. Plat. De Atheniensibus Plutarchus & Thucydidis Scholiastes* referunt, quod de insigni illa expeditione in Siciliam optimam spem foverint, eò quod *Nicias* ei præesset, ex nomine Imperatoris victoriam sibi polliciti certissimam. Nec Romani ab hac opinione alieni fuere, quoniam dum Italiæ lacus locarent, *Lucrinum* primum, auctore Cicerone appellarunt. *l. 1. de div.* Sic *Lipsius* ex historiis eruit, Consules Romanos in delectu observasse, ut primus miles bono nomine esset. Sic nomen *κακοβασιλέα*, ut *Valerius Maximus l. 1. c. 5.* commemorat, ædificio ad mare sito impositum, Pompeji Magni spem, quantulacunque restabat, comminuit. Sed quid aliena profero? cum tamen DEus ipse, res magnas peracturis nomen, operibus futuris congruens, indiderit, nempe Abrahamo, Jacobo, Josuæ, imò Christo ipsi. De divinis quidem nominibus certissimus, ea nunquam fefellisse, partim, quoniam ille qui imposuit, non mentitur, partim, quia ab eventu ut Phalegi, Benonis, desumbantur. Aliud tamen de humanis istiusmodi cogitationibus ferre liceat iudicium: siquidem naturâ suâ nomina nihil valent hodiè, nec vi innatâ gaudent aut magicâ, nisi quòd per abusum permittente Numine, diabolus, mancipiis illudat, ut certa nomina vel scripta vel lecta, vel *κειμηλίσ* instar à collo aut pectore suspensa ad morbos curandos, divitias parandas, & fuganda spectra. (sed nunquam a se dissidet regnum diabolicum *Luc. XI.*) adhibeant. *Qua de re Peucerus de Divination. Meisnerus in Philosophia sobria, part. 2. sect. 2: cap. 2. de predicat. quest. 1. Thomas Erasmus in Disputatione Anti Paracelsi. & Andreas Libanius contra Crellium.* De ead. Medici & Physici agunt ex instituto. *Nicias* certè nominis sui vir non fuit, cum amisso exercitu instructissimâque classe ab hostibus miserè trucidaretur. An non sui nominis Imperator atque Heros extitit *Augustus*? Jam, quid de *Themistocle, de Aristide, Aristotele,* & magnis aliis nominibus Luminibusque arbitrabimur. Commodio Imperatore vix incommodior unquam vixit Imperator. Mittamus interim sententiæ eorum nuntium, qui actionum futurarum infallibile ex nomine argumentum petunt, eademque

demque parentum spei atque gaudio subsequuturo, quod faustum nomen refert, adscribamus, argutasque Ciceronis, ad contemptum comparatas allusiones nominum, *Verris L. II. in Verrem, Chrysogoni L. 5. P. 5. Rosc. Amerino*, improbatas a Quinctiliano Fabio, negligamus. Asserere tamen liceat valere multum ad præclare agendas res fausta atque ominosa nomina, & *Φερωνύαξ* Græcis, *Virosque sui nominis* Latinis appellatos passim occurrere. *Conf. Vopisc. in Probo. Lamprid. in divo Claud. Ep. 25.* Si ad originem *Wilhelmi* primam reflectamus mentem, ejusque antiquitatis notam in Aventino Scriptore rerum Bojoaricarum diligenti, si invidiam quam multi in eo castigant, demas, evolvamur, occurrit significatus a scopo nostro nequaquam abluens: ait enim ille, significare amatorem galeæ, vel armorum. *Bill den helm* / qui instinctu connato ad arma feratur magno desiderio, strenuusque miles sit; Non sine testimonio & exemplo aliarum vocum Germanicarum, quæ syllabam *Bill* præfixam habent, hæc defendemus ex Schottelio *lib. 5. tract. 2. p. 1095. de Nominibus propriis veterum Germanorum*: qui & rationem derivationis Gallici nominis *Guillaume* affert & latinum *Gvilielmi* recitat, omisso Anglo *William*: juxta eum *Willigifus*, idem est ac benevolus hospes, *Wilbaldus* idem, ac facile contentiens, *Wilbrandus* non alium, quam cito exardescens (irâ procul dubio) significat. Quod si à copiâ (quasi *Billhelm*) dictum velit aliquis *Vilhelmum*, ne sic quidem refragabimur. Viri igitur & nostri Ducès sui nominis dici possunt *Wilhelmi*, eisque non sine omine hoc nomen competit, cum impetu heroico ad capeffenda arma contra hostes incitati, strenuè pugnaverint huc usque: quod deinceps comprobabimus quoque. *Vid. Piccarti Observat. Hist. Polit. Decad. Postb. XIV. cap. X. p. 21.*

II. Non negamus, in historiarum monumentis reperiri fortissimos *Wilhelmus* Heroes quorum nomina factis gloriosis respondebant. Fama fert fuisse Saxoniarum Ducem *Willhelmum* superiori ætate, cujus consilio, auspicio & ductu omne bellum compositum, eamque ob rem in proverbium abierit. *Wann Herzog Wilhelm zu Sachsen die Sporen anlegt, so hört man sie im ganzen Reich klingen.* Quod ex Fabricio, Auctor des *Chur und Fürst Sächsishe Helden Saals* recenset p. 384. in *Vita Willhelmi*. Econtrario Scriptores seculi XVI. fatentur *Friderici III. Sapientis*,  
 cui

qui dextra Imperii jure meritoque dicebatur, consiliis Maximiliano I. Augusto alteri in ferendis legibus, suppeditatis, multa ad pacem Imperio reddendam contulisse, etsi cum Maximiliano omnis tranquillitas & pax interierit, & Carolus V. postea religionis prætextu in viscera illius, Hispanorum copiis auctus penetrârit, fonestumque proh dolor! bellum Transactione Passaviensi finitum demum, gesserit. *vid. Ulloa Hispanus Scriptor accuratissimus Caroli V. Biographus, & Zenocarus qui tamen illum nequaquam exæquat.* Anglia Wilhelmorum facinora antiquis jam temporibus magnifacere coacta fuit; dum Willhelmus Conquestor Heraldus Comiti, qui Regis titulum, totumque regnum nefarie arripuerat, vi armata id eripere coactus fuit. *vid. Henricus Savil. Job. Selden. & Marquard. Freher.* Taceo nunc Gloriosissimum Germaniæ Achillem, Electorem Brandenburgicum **FRIDERICUM WILHELMUM**, quo fortiorem Heroem Germania non vidit unquam. Cujus res gestas Illustris *Pufendorfius* æternitati consecravit. Quid dicam de gloriosissimis Regis Willhelmi majoribus, qui hoc nomine non frustra gavisi sunt? de quibus postea.

III. Certum est, familias quasdam illustres feliciores aliis fuisse in toga, alias plus laudis in sago acquisivisse; imò integras gentes & provincias præ ceteris belli artibus eminuisse, aliis pacis studio colendo aptioribus. Spartanorum Respublica militaris, Persarum gens mollior & plures aliæ, Romani & Germani bellis adsueti, *de quibus Picart. L. cit. Dec. III. c. X. agit.* Sic plebsque ab Achille, Græcorum Trojam obsidentium Duce, prognatos, in bello imprimis felices fuisse, autores Græci æque ac Romani tradunt. Eandemque ob causam Alexander Magnus se genus ab Achille deducere gloriatus est. *vid. Curt. 8. 4, 26. & 6. 9. 19.* Amazonum quoque Regina Thalestris idcirco adiit Alexandrum ut fortissimos heroes conciperet ex eo. *Conf. Idem L. VI. c. V. 25.* Idem non ignorabant Lacedæmonii: Semper enim Reges, ut *Cornelius Nepos in Vita Agesilai, c. 1. v. 2* indicat, ex progenie Herculis habere studebant. Nec non Miltiades a Nepote *in ejus Vita c. 1. v. 1.* magnifit, quod & antiquitate generis & gloriâ majorum unus omnium maximè floreret. Sic Romani, Scipiones suos, Fabios, aliosque evehebant. De *Wittekindi* profapia,

Otto-



*Ottomibus, Carolis, Fridericis, Conradis* nil dicam; quorum merita tanta sunt, ut, si scripto breviori commendare quis vellet, detraheret eorum dignitati. *vid. Sigebert. Gembl. Dieterich. Otto Frisingens. Diumarus Merseb. & recentioris ævi Scriptores.* Quid referam de Austriaca familia? quæ in *Rudolpho* Comite non magnæ adeo dignitatis, sed ad Augustale fastigium delata postliminiò tantas acquisivit vires, quantas hæc temporum ratio requirit, & hostibus potentissimis fugandis suffecturas speramus. Si illud felicitatis argumentum esset, notas in familiis illustrioribus observari quandoque, impressas generando aut genti certæ, nescio qua ratione? proprias, *Seleuci* anchoram nauticam, *Scaligerorum* oculos *χαρῶν*, *Gallia Regum* vim curandi strumas, *Anglorum* verò R. virtutem depellendæ elephantis *ἀσπῶς*, de qua in *Histor. Genuens. p. 411.* legere est, nec nostri excludendi essent.

IV. Fundamenta prius ponamus necesse est, quàm superstruamus cetera notatu digna. Disquirunt inter se morum non solum Doctores, sed & Civilis prudentiæ Magistri, in quo Principis felicitas primariò consistat? Et quibus modis acquirenda, quibus servanda sit? quâ porrò ratione amittatur? Summum morale bonum tantum abest, ut hic exclusum velimus, ut potius felicitati illi primas deferamus, quâ operatur animus per rationem, (si secundum Aristot. definiendum foret,) juxta virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta; quæ conjunctam habet animi voluptatem & tranquillitatem conscientiæ. Difficile non est, conjungere salutem publicam; quam, quia supremam lex & ratio status appellatur (rectius rationem Reipublicæ aut commodum publicum Civitatis, vel Reipublicæ, vel Regni Imperiûq; diceres.) si imperans & Majestate, sive potestate summa præditus per media legibus conformia prudenter administrando, atque conservando, obtinet, felix omninò, si & splendor Natalium accedat, dicitur. Introspectantur tantùm labores Politicorum & moralis prudentiæ Doctorum, eruditi atque copiosi.

V. Liceat igitur ad utrumque *Wilhelmum Regem Potentissimum. & Marchionem Serenissimum* referre hæc; & in eorum descendere laudes, auspiciaturis a Majorum dignitate maxima. Originem Rex *M. Britanniaë Gloriosissimæ* Comitibus *Nassoviaë, & Arausionensium* principali domo debet, ultra mille annos in monumen-

tis historiarum memorata. Prætermittam Cæsaris indicium; quoniam hic in Commentariis suis mentionem facit cujusdam *Nasua* Suevorum Ducis, Cimberique fratris sui, ita scribens L. 1. de *Bello Gallico* c. XXXII. n. 3. Treviri pagos centum Suevorum ad ripam Rheni confedisse; qui Rhenum transire conarentur: iis præesse *Nasum* & *Cimberium* fratres p. 27. Lips. edit. 1674. Alii verò Româ illum cum hoc Imperatore venisse dicunt, præditumque ab ipso tractu Nassoviensi. In antiquissimas inquirere origines, & ad Ottonem usque *Nassoviensem* Comitem ascendere, Ducem exercitus Henrici Aucupis, quo Hungarorum copias fudit, vid. *Engelbusius* in *Chronic.* p. 174. 175. Cui arx *Nassau* ad Lanum sita in Hassiaca regione haud procul ab eo loco ubi Mosella se exonerat in Rhenum, nomen dedit; *Walderamorum* recordari; *Adolphi* Imperatoris stemma recensere, animus non est. *Ungelbertum* consilio promptum, manu fortem, Maximiliano Augusto adamatum, Batavorum Governatorem, fratremque Johannem sistere ante oculos supersedemus. Licebit tamen *Wilhelmorum* Comitum Nassoviensium Dilemburgicæ lineæ familiam ab eo repetere; qui per matrem *Claudiam Cattalaunensem* sororem *Philiberti Auriaci* Principis ( alius, fortè Parentis meminit *Gvicciardinus* XX. *Hist. Ital.* quòd ceciderit in obsessione Florentinæ urbis An. 1531.) a sobole destituti acquisivit testamenti legibus 1544. Principatum *Arausionensem* in Provincia, Galliarum Regni parte sitam: *Wilhelmus* is est I. hujus nominis, *Henrici* Comitis Nassoviensis filius, qui *Carolo V.* in deliciis, a consiliisque in ætate juvenili constitutus, judicii prorsus divini, & maximarum rerum gerendarum capacis, Princeps, Dux belli supremus eventu & successu felix. Quanquam in eam minimè sententiam concedamus, ab exitu consiliorum rationes petendas, & horum excellentiam eventu metiendam esse. Verendum enim, ne Poëtæ in nos diras derivemus:

- - Careat successibus opto !

*Quisquis ab eventu facta notanda putat.*

Metuendum, ne in *Taciti* prudentiâ plenum peccaremus monitum: *Non tam casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam & cause noscantur.* L. 1, *Hist.* cap. IV. v. 1. & virgulam censoriam *Plinii* l. V. cap. 21. mereamur. *Est omnino iniquum, sed*

sed usu receptum, quod honesta, vel turpia consilia, prout malè aut prospere cedunt, ita vel probantur vel reprobantur. Multis testimoniis *Piccartus* ornavit axioma: *Consilia spectanda, non exitum; Dec. I. cap. X. p. 60.* Sed redeamus ad *Wilhelmum*, Belgicum Oraculum haud absque meritò dictum, qui fides *Carolo V.* dum viveret & consilia ejus approbaret; sed cum filius *Philippus II.* Roboami ad exemplum Parentis monita pensi non haberet, acrius in *Belgas* statueret, & tyrannum, non Monarcham æquumq; Regem ageret, *Wilhelmum* insuper *Patris Caroli Purpuratum* quasi, *Hollandiæ tantum & Seelandiæ* regendæ præficeret, *Hornium*, aliosque anteferet offensus, *Philippi* fastu vix tolerando incitatus, *Ducis Albani*, què, *Rex Hispaniæ* ne *Belgio* præficeret cum *Ordinibus* obnixè rogaverat, sævitiâ excitatus, *Belgis* fœderatis auctor fuit, *Hispanorum* jugum excutiendi & in libertatem vindicandi, sua for ipse & *Dux felicissimus*, & magno animo vindicaturus contemptum, quo se affectum senserat, dum non creatus esset *Gubernator* totius *Belgii* & *XVII. Provinciarum*, *Philippo* certe utilissimus, & in fide *Belgas* omnes graviter conservaturus. *Famianus Strada* ni res gestas herois hujus memoriæ mandasset, & sicarii globo petentis parricidium acriter castigasset, fufius de eo ageremus. *Mauritius* ille magnus, dignus tanto patre filius ἀγαθος gloriâ gestarum rerum memoratus, æger animo obiit, fratreque *Henrico Friderico Duce* bellico, si par successus consiliis prudenter excogitatis respondisset, maximo, succedente, sub quo *Princeps Waldeccius*, *Schombergius*, atque *Turrius*, fato jam functi, tyrocinia belli posuerunt. Avus hic erat *Wilhelmi* nostri: In Parente verò hujus nominis *II.* *Gubernatore Belgii* hæsi are videbatur fortuna, qui offensis *Amstelodamensium* Legatis, & proposito intercipiendi urbem præter spem prodito, præ tristitia ante diem decessit, *Angliæ Regis Caroli I.* Filiâ *Mariâ* in matrimonium ductâ, quæ *Serenissimum Wilbelmum Henricum 8.* dierum posthumum. 1650. peperit, *Batavorum delictum*, & *Britanniæ præsidium*, *Imperii decus & ornamentum.* *Wilhelmo* igitur *Regio & Principali sanguine* fato, nil hac equidem in parte, quo minus felicis nomine veniat, deest. In compendium ex *Famiano Strada* & horum temporum *Scriptoribus Gallicis* æquè ac *Germanis* misimus, brevitati operam dantes.

VI. Si cum Plutarcho parallelisimum institueremus, & ultimos natales *Badensium* Marchionum diligentius rimaremur, ad Comites *Vindonissa* & *Altemburgi*, quibus & Archiduces Austriae originem debent, delaberemur, a *Munstero Crusio*, in Annalibus Suevorum modestè dissidentes, *Hermannum* Marchionem Badensem, *Conradi II.* Imperatoris tempore sec. XI. clarum primo loco nominaremur, *Friderico I.* è Suevorum stirpe, Augusto, laudi tribueremus maximæ, quòd, *Hermannum III.* artibus & consiliorum gravitate inclytum gubernandæ Veronæ præfecerit: sed silentio involvenda sunt antiquiora, nec de *Christophoris* Ducibus, Suecorum quoque Regibus nexu conjugali junctis, dicendum quidpiam; ne rerum gestarum magnitudine obrutos postea brevitati studere oporteat nos. Badensis domûs linea duplex est, *Lutberana Durlacensis* & *Romana Badensis*; de hac dum differimus, *Wilhelmus* superiori seculo 1590. natus se offert, aurei Velleris Eques, virtutis merito creatus, & in Tribunali Spirensi (proh dolor! exspiravit Spiraë justitiæ sedes, furiis Gallicis inspirantibus.) Præses, in Vindobonensi aula pro Sapientissimo Principe habitus: Nepos Celsissimus *Carolo Bernhardo* an. 25. satus, *Ferdinandus Maximilianus*, cum fratre *Hermanno* Præsede Senatus bellici in aula Imperatoris, post, ne æmulatio cum *Carolo Lotharingo*, bono publico oboisset, *Ratisbonæ* Principalium Imperii commissorum Curatore (Principal Reichs-Commissarius) qui superioribus annis ibidem explevit mortalitatem, ex *Ludovica Christina Thomæ*, Ducis *Sabaudi Carigniani* (non enim hæc linea dominans, sed apanagiata) filia, suscepit an. 55. **WILHELMUM LUDOVICUM**, Principem bellicosissimum, felicem si imagines Majorum, feliciorum, si virtutis propriæ excellentiam pensitemus paulò accuratius, felicissimum debellatis brevi speramus hostibus futurum.

VII. Unicum sæpè virtute atque sapientiâ præstantem virum toti Reipublicæ salutis esse, Romanorum aliorumque exemplis comprobatur. *Wilhelmum* in teneriori etiam ætate, constitutum, rebus præclarè confectis, *Batavis* auxilio & ornamento fuisse, inter omnes constat. Etsi enim primum *Batavi* Parentis ejus exemplo territi, vehementer recusarent potestatem regendi uni conferre, eamque ob causam Principem hunc adigerent, *Wittiorum* imprimis pessimis consiliis decepti, Anglo-  
rum-

rumque monitis desisterent incepto, haudquaquam audientes, ut anno ætatis 12. *Haga Comitum* jurejurando illa se potestate abdicaret, postea tamen, cum Galli imminerent, ex alio capite reassumptus, & ut hostium se opponeret exercitui, instantissime rogatus, Gubernator hereditarius fuit constitutus. Nolumus hæere circa ea, quæ cum aliis communia Heroibus Wilhelmus habet, etsi magna omnia deprehendantur in eo: Præcipuas res in defendendo Belgio, liberanda Britannia M. & Imperio Romano conservando conjunctis egit viribus fæderatorumque armis. Fortem esse & belli artibus excellere hostes ipsi fatentur, virtutemque ejus celebrant. Gallorum impetus in Batavos repressit. Vix enim regimini Belgico admotus, exercituique imperans Gallos ad urbem Narden, quam obsidione liberarant, sic perterruit, ut sorte postmodum eligerentur, qui Principi resistere deberent. Omne etiam tempus ad res gerendas idoneum censuit: ideò mediâ hieme, Gallos, quò manum cum iis posset conferere, acerrimè est profecutus. Luxemburgium etiam Hollandiam expugnaturum, fortissimè retinuit, munitissimamque urbem Belgii, imò totius Europæ Koewerdam, Frisix claustrum, ab hostibus post obsidionem, hebdomades triginta & unam durantè, demum expugnatam, per nongentos tantum milites, spatio horæ citius ipse recuperavit. Sic verò se gerendo Princeps maximam sibi comparavit gloriam; quoniam enim Batavi cernebant, hujus imperio tantam rerum commutationem esse factam, ut Galli, qui paulò ante victores erant, præterriti fugam peterent, ideòque superiores adversas suâ præsentia secundas res, ejus accidisse operâ, arbitrabantur, maleque ferebant, quòd tale n ab imperio virum antea removissent, cujus tamen operâ, & mari & terrâ Gallis pares esse ceperant. Sequenti quidem anno Belgæ ab hostibus undique cingebantur, Ducem enim Luxemburgensem in sinu regionis videbant, Rex Gallix vero quadragies bis mille militibus Trajectum ad Mosam obsidione cingebat, Anglicana classis appellere in Belgio jam laborabat, his verò omnibus prudentissimus Princeps frena injicere coactus adductusque, hoc imminens periculum felicissimè dissipavit. Anglos enim eo redegit, ut oram Hollandiæ maritimam relinquerent, Galli etiam ne ulterius progredere-

rentur sapienter, effecit. Cùm autem Imperator ut & Rex Hispaniæ viderent Batavos, immanes has Gallorum vires diutiùs sustinere non posse, succurrere ipsis non cessarunt, quorum igitur exercitibus dum suum Princeps conjungeret, tunc felicitas atque fortitudo ipsius enitere cepit clariùs. De amplissimo Angliæ regno haberem quæ dicerem, miro felicitatis modo, nemine sc. repugnante obtinuisse illud Wilhelmum, Hyberniam, quæ tota ferè defecerat, incredibili virtute, felicissimoque iterùm rerum successu, cum magno tamen labore, ita ut in diversis præliis vitæ periculum incurreret, ditioni rursus suæ subiecisse, copias in Flandriam deduxisse, nisi nobis brevioribus liceret esse. Mari quid præstiterit ante triennium, manifestum omnibus. Gallorū enim classis, cui præerat Tourvillius ab Archithalasso suo Russelio felicissimè non solum est prostrata, penitusque ferè deleta, sed Rex ipse non minorem tam fortitudinem, quam felicitatem ostendit, eoque rem redegit, ut Galli, qui universum Belgium expugnare sibi proposuerant, ne Hispanorum, multò minùs Batavorum provincias subjicere sibi potuerint. Superiori anno tantà Luxemburgii Ducis insultus alacritate prostravit, ut miles gregarius, non Rex, & Imperator belli videretur, in medio hostiū constitutus gladio ad prodigium usque defendere se copiasque voluit cum Maximiliano Bavaro. Celebret Germania facta Regis hujus, cujus consiliis & ductu Gallorum manibus erepta, & eximenda porro favente Numine! Cum in aprico virtutes positæ sint, silentio veneramur ac admiramur, easdem, bellicas præcipuè.

VIII. Prudentiam verò summam felicissimus ostendit Wilhelmus jure Magnus, dum imperio admotus, motus omnes sedavit, præfidiis validioribus castra munivit. Si solum illam omni ætate admirandam descensionem in Angliam commemorarem, felicitatis nomine venire Nostrum comprobarem: In Angliam enim ab hujus regni Ordinib. vocatus trajicere non detrectavit, sed classe comparatâ illuc cursu quàm potuit celerrimo, pertendit. Felici omine eò delatus, prudentissimè omnia ibi disposuit; & ad liberandam, non occupandam vi molitus quidpiam, Jacobo, ut legum fundamentalium, quas vocant (Test.) & religionis dominantis esset memor, persuadere voluit, tot precibus supplicibusque votis expetitus. Amnestias seu oblivionis injuriæ  
illatæ

illatæ publicè proposuit tabulas ; gratiâ verò hac plus valuit, quàm severitate Jacobus, cui ut deserenti regnum & contra principalia equidem statuta peccanti, surrogatus iuste meritoque Wilhelmus. Si nitereremur relationibus, menstruorumque colloquiorum fide staremus, facilè recordaremur partus ipsius, quo tempore tres in æere coronæ apparuisse dicuntur. Prudentiâ pari usus Scotiam turbis impletam sedavit, Hyberniam omnem fere deficientem, quò citius recuperarent, consilia dedit, atque totam Britanniam Magnam in eam deduxit statum, ut meliorem optare neutiquam possit. Sed ne dilabamur à proposito, ad extremum dicimus: Prudentissimè effecit, ut Angli ad bellum contra Gallos fortiter persequendum nervum rerum offerrent ; callidè omninò quoque censuit, bello contra Gallos non priùs desistendum, quàm pace inter eum & fœderatos constituta eò redactus sit, ut impari conatu in Germanos aliosque ruat facili negotio debellandus Gallorum Monarcha. Quia hæc Scriptis quod, quidè sciamus, nondum concredita sunt, experientiæ, nuntiisque publicis in acceptum ferimus.

IX. Ludovici Wilhelmi Serenissimi Principis res gestæ quoque exponendæ veniunt: non quòd maximæ non sint, & innumeræ ferè, sed quia multitudo commemorantibus quædam subtrahit. Quot verò earum recensemus, tot felicitatis tesseras repræsentamus in compendio. Bellis gerendis natus, Ducis Summi præludia quædam in teneriori ætate dedit, Imperatori, Principibusque in deliciis, siquidem Ao. 1683. Vindobonam caput rerum a Turcis, copiis vix numerandis obsidione gravissimâ cinctam liberatum juxta cum aliis Principibus Ducibusque fortissimis veniens, virtutis radios emisit splendidissimos. Non latent Herois hujus facta quenquam; nec fugit nos, qua Fortitudine in expugnandis munitissimis castris Buda scilicet, aliisque, in propellendis hostibus, imprimis ad Belgradum, dum paucis millibus, quindecim millia Turcarum fudit & fugavit. Quo futuræ felicitatis specimine edito, cunctis ferè postea annis novas consecutus est victorias. Nulla ætas silebit illam, quam ad Salankemen contra Turcas reportavit, in qua magna illius Fortitudo, Prudentia atque Felicitas apparuit; dum triginta millium millibus comitatus, plus quàm octoginta Turcarum millia capeffere fugam adigeret: hæc verò victoriâ Cæsareano militi

91  
77  
6959

liti ad Nicopolin usque aditum struxit, sicque perterritus hostes, ut Constantinopolin jam pro derelicto haberent, quam sine dubio Dux fortissimus oppugnare adortus esset, nisi defuncto Carolo Lotharingæ Duce, ad incursiones Gallorum reprimendas ad Rhenum vocatus, ac Patriæ suæ, aliarumque regionum salutem consuleret, rogatus esset. Tunc demum Virtutem ostendit maximam; Fortitudinem scilicet, cum Gallos magna vi Nicrum trajecturos non minus fortiter quam feliciter retinuit. Prudentiam verò summam declaravit, cum, adventantibus confœderatorum copiis, castris bene munitis, conservandæ Sueviæ Franconiæque studeret, Gallorumque eluderet proposita; audaciam enim esse conjiciebat, exercitum fœderatorum, in quo totius tamen Germaniæ superioris salus constituebatur, hostium copiis, & numero & agilitate suas longè superantibus opponere, cum nihilominus Gallos in castris solummodo se continendo vincere, & cunctando rem restituere posset.

X. Prudentissima hujus Principis consilia & Turcis & Gallis detrimento maximo, nobis & Imperio, emolumento fuere insigni. Philippo Cominæo Scriptori Gallico Principum congressus periculosos esse tradenti, si habenda fides, metuendum nobis esset. Non abnuimus, exempla plura eventuum recensuisse Piccartum L. 1. p. 113. Noster verò, quo in posterum res benè gererentur, Regem Wilhelmum adire non cessavit, potenter a Divino Numine hostium insidiis ereptus, magnificè exceptus, Regis æquè ac Reginæ omniumque Angliæ Procerum, imprimis Parium (ut vocant Regni, Galli) animos oculosque in se convertit, consilia de hostium conatibus fortiter hoc anno eludendis, & tuenda Patria communi, Germaniâ, quin & Belgio, Sabaudisque communicavit, de quorum felicissimo successu absit dubitemus; sed supplicibus Numen æternum venerari precibus nunquàm desinamus, quò Regi Wilhelmo Felici, Marchioni Ludovico Wilhelmo Fortunato in Sueviam prosperè delato jam, & vigilantem, moderanti omnia sollicitè, bene sit.

Liberent Wilhelmi cum fœderatis copiis Germaniam, vincant hostes, securitatem publicam custodiant, propugnent, Europam in antiquo statu sistant, Duces divinitus electi atque servati, ut cives è jugo, quod cervicibus impendet, eripiant, salvos præstent ab injuria, defendant, ac benigne tueantur! Principes Pii, Felices, Maximi, qui plus confecerunt, quam alii destinarunt; plus facillè decennio gesserunt, quam ætate sua alii egerunt. Sic hanc dissertationem finimus, bene precati WILHELMIS FELICIBUS!



1077



R.K.  
405,  
17.

VV

M. JO

Jo



WI

03999)

Π m  
6959

MIS

S,

TASARE

O,

ado,

ASPEL




ori,

XCIV.

XXIX pl. 2.



SCHIANO.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black